15


XENIUM SECUNDUM.



274-3

Digitized by Google

Digitized by Google



PHILIPPUS DE VENUTIS
SOCIIS ETRUSCIS CORTONENSIBUS
VIRIS ERUDITISSIMIS S. P.

NOVI, Viri Eruditissimi, vos in Patriâ Historia adornanda operam sedulam conjunctis viribus impendere, nec satis possum consilium vestrum laudare, nec certiorem de vestra diligentia & industria spem capere in re alioquin difficili & salebrosâ. Quàm sit salubre ac frugiferum ad institutionem vitæ humanæ præclarorum Virorum nosse facta, quàm voluptatis plenum exempla virtutis proponere ad consopitos animos erigendos, eosque à fœdis pravisque deterrendos, nemo negat nisi livore perditus. Nec propterea continuò ad Gentium & Urbium Illustrium Græcorum Romanorumque Annales advortendus animus. Domi enim haud infrequenter habemus, quæ vana allecti curiositate apud exteros quærimus; nosque magis domestica quàm peregrina movent facta, maximè si prudenter ornatèque commemorentur. Hinc qui Ægyptiorum vel Sinensium ignoret res gestas facilè apud cordatos viros impetret veniam, haud verò qui Patrum nostrorum & suas. Nobis hoc studium debemus & Patriæ, quæcumque demùm illa sit. Quod si pro natalibus contigit Urbs non ignobilis, & de qua etiam gloriari possimus: in ea tunc illustranda bonus quisque Civis conferet vires suas. Quæ ad Cortonæ primordia ejusque Antiquitates facere censuerunt, singillatim expenderunt & in unum jam pridem collecta dederunt duo Fratres mei amantissimi, quorum tentamina habentur in secundo volumine Inscriptionum Etruriæ Cl. Francisci Gorii, & in Quarto nostræ Etruscæ Academiæ Lucubrationum: De iis peritiorum esto judicium. Vos quæ superest Historiæ Patriæ partem suscepistis, ab medio nempè ævo ad Patrum nostrorum memoriam deductam; quæ cum repentenda sit ex litterarum monumentis situ & squallore plerumque obsitis, &, ut ita dicam, ab Orco revocanda, difficillimæ negotium est Aleæ, & vestrâ tantùm virtute minoris. Ego verò qui alacritatem hanc vestram admirari non desino, tanto loci à Patria sejunctus intervallo, desidiosus nullam in opus tam arduum adferam symbolam? Haud Deus faxit, sodales amantissimi; suppetias quæ in-

24

manus inciderunt obscro, ac ædificio vestro extruendo, si lubet, sublicas & tigna affero, minutiora quidem, sed quæ nec respuunt Architecti prudentiores. Vobis, quibus licet esse tam beatos, locus tempusque affatim suppetet excutiendi Etruriæ Bibliothecas & Archiva, maximè Arretina, Senensia, Perusina, & Florentina, in quibus plurima hujusccmodi invenietis, quæ ab multis annis cum blattis tineisque rixantur. Cl. Baro Joseph *de Bimard* amicus meus optimus Reipubl. litterariæ immatura morte præreptus MS. Codicem ex Bibliotheca Regia exhibuit, qui sub *Regesti* titulo collectionem continebat Epistolarum nonnullarum Innocentii VI. Urbani V. & Gregorii XI. PP. MM. quibus de suo addiderat Notas patrio sermone Vir celeberrimus Abbas *de Longuerüe*. Inter eas sequentem Epistolam Innocentii VI. quæ centesima septima in ordine est sub paginam 103. transcribere operæ pretium duxi. Ad eam sic prænotaverat Cl. *de Longuerüe : Cette Epitre contient une commission de Trésorier de la Province de la Campagne de Rome ; & cette commission est très-ample : Ce qui donne une idée de la maniére dont les Papes gouvernoient alors leurs Etats* : Illius autem is est tenor.

I. *Dilecto filio Johanni nato quondam Mutii Cortonio, Archidiacono Cortonensi, in Provinciis Campaniæ atque Maritimæ pro nobis & Ecclesia Romana Thesaurario.*

INdustriam, circonspectionem, & fidem, superquibus ad nos fide dignorum te commendant testimonia, intuentes inducimur, ut de te in nostris & Ecclesiæ Romanæ negociis confidamus ; hinc est quod nos omnem alium Thesaurarium ad infrascripta vel eorum aliqua, aut alias in Provinciis Campaniæ & Maritimæ auctoritate Apostolica hactenus deputatum, tenore præsentium revocantes, Te in eisdem pro nobis & Ecclesia memorata Thesaurarium usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate Apostolica facimus, constituimus, & etiam ordinamus. Tibi petendi, exigendi, & recipiendi omnes & singulos fructus, redditus, & proventus, necnon census & jura quælibet alia, in quibuscumque & ubicumque consistentia, nobis & eidem Ecclesiæ in Provinciis memoratis debita pro præterito tempore, & debenda in antea pro futuro, ex quibuscumque titulo & ratione seu caussa, & de iis quæ inde recipere te continget, eos à quibus illa receperis absolvendi pleniùs & quittandi. Quæcumque insuper de litteris rebus & juribus ad eandem Ecclesiam in Provinciis eisdem spectantibus alienata inveneris illicitè sive distracta, ad jus & proprietatem ipsius Ecclesiæ revocandi ; gagia quoque sive dispendia vel salaria Rectori & aliis Officialibus dictarum Provinciarum qui pro tempore fuerint statuta & deputata, eis solvendi : Omnibus præterea litteris Apostolicis, & Gentium Cameræ Apostolicæ quibuscumque Prædecessoribus tuis Thesaurariis pro eadem Ecclesia in dictis Provinciis deputatis directis, in quibuscumque cœptis & non cœptis negociis, quæ Officium Thesaurariæ tibi commissum, aut negocia Cameræ memoratæ contingunt, communiter vel divisim, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis quibuscumque contrariis, utendi & libere eas exequendi, ac alia omnia & singula gerendi & faciendi, quæ ad hujusmodi Thesaurariæ Officium pertinent ; alienatione bonorum tibi penitùs interdictâ, facultatem ac potestatatem plenam & liberam concedentes. Ideòque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes illas te personaliter conferens,

Digitized by Google

sic hujusmodi Officium fideliter & sollicitè exequaris, quod dignæ commendationis attolli titulo & à nobis mercede præmiari uberi merearis. Datum, &c.

Voces observabitis à Gallico Idiomate mutuò sumptas, *quittandi* (*quitter*, Ital. *dar quietanza*) *Gagia* (*gages* Ital. *stipendi Provisioni*); ista enim Avenione sedem habente Papa scribebantur. Deest in Cod. Pontificatus annus; at universæ hujus Collectionis Litteræ primo Innocentii VI. anno datæ sunt. Fuit autem creatus Pontifex Max. a. d. 18. Decembr. anno 1351. decessit anno 1362.

Johannes Archidiaconus Cortonensis, ex illustri, ni fallor, *Alticoziorum* Gente natus, quæ apud nostrates adhuc splendidè viget & cum qua mihi etiam affinitas intercedit, collato quidem munere summa cum laude functus est. Quapropter ab eodem Innocentio VI. ad Episcopatum Theanensem promotus est; quod patet ex altera hujus Pontificis Epistola ab Edmundo Martene in amplissimo suo Anecdotorum Thesauro Tom. II. pag. 1048. edita inter quam plurimas, quas ex Cod. Epistolar. altero Innocentii VI. à Cl. *Boubier* Præside Divionensi suppeditato publici juris fecit; ea ducentisima vigesima quarta est, quam hìc in vestrum commodum exscribam.

II. *Dilecto Filio Johanni Mucii electo Theanensi salutem, & Apostolicam benedictionem.*

CUm sicut fide digna percepimus Thesaurariæ & Nunciationis Officia Campaniæ Maritimæque Provinciarum ad nos & Romanam Ecclesiam immediatè spectantium per nos hactenus tibi commissa, sic laudabiliter & fideliter exercueris & gesseris, quod potes ex inde merito commendari, ac propterea te gratiâ dignum reddas. Nos præmissis ac probitatis & virtutum meritis quibus personam tuam Altissimus insignivit debitè considerantes te ad Ecclesiam Theanensem de Fratrum nostrorum consilio duximus promovendum, præficiendo te illi in Episcopum ac Pastorem. Sperantes igitur quod Officia prælibata gubernabis & geres laudabilius in futurum, te in eisdem Provinciis Thesaurarium nostrum & Apostolicæ Sedis Nuncium deputamus ut prius, tibique concedimus quod quibuscumque Litteris Apostolicis & Gentium Cameræ Apostolicæ tibi, & quibuscumque prædecessoribus tuis Nunciis præfatæ Sedis in Provinciis memoratis destinatis, quatenus negotia Cameræ memoratæ contingant, in quibuscumque cœptis & non cœptis negotiis libere uti & eas exequi valeas, Constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Avenione Idus Augusti, Anno nono.

Liceat ex prælaudato inedito Codice Parisino vestros quoque sub oculos ponere Epistolam Gregorii XI. quæ Urbem nostræ finitimam respicit, & ad Tusciæ nostræ Historiam facit. Ea trigesima quinta numero est, & sic se habet:

III. *Venerabili Fratri nostro Anglico Episcopo Albanen: in nonnullis Terris Italiæ Romanæ Ecclesiæ immediatè subjectis nostro & pro eadem Ecclesia in temporalibus Vicario Generali salutem, &c.*

CLaræ devotionis titulis insignitus Romanam Ecclesiam more ejus devotissimi filii revereris ut matrem sicut operum effectibus manifestas, deinc ipsius jura

Digitized by Google

diligenter protegis, & illa quæ ad ejus honorem pertinent procuras fideliter & utiliter operaris, quod etiam in Castro Burgi S. Sepulchri Civitatis Castelli Diœcesis quod in partibus Tusciæ consistit ad dilectum filium Nobilem Virum Guillelmum Dominum de Griffaco ex concessione Imperiali pertinet, dum ipsius Castri venditione eandem Romanam, si nobis placeret, cuicumque alteri præferri voluisti. Super quo sinceritatem tuam multarum prosequimur gratiarum actione. Verum quia de juribus Imperii nos intromittere nolumus, nec illa acquirere volumus quoquomodo, & si aliud per nos fieret, id multis Communitatibus Italiæ non placeret; ideò vendendi dictum Castrum alicui servitori & confœderato prædictæ Romanæ Ecclesiæ, de quo statui & terris prædictæ Romanæ Ecclesiæ ut partibus circumstantibus non possit venire scandalum neque damnum, Tibi & eidem Domino de Griffaco licentiam concedimus per præsentes; ita tamen, quod ipse cui vendetur Castrum ipsum pro se & hæredibus promittat non esse perpetuò contra eandem Ecclesiam & ejus terras, & quod de dicto Castro ad mandatum ejusdem Ecclesiæ guerram & pacem faciat, & ejus Gentes receptabit in eo, ac amicos dictæ Ecclesiæ in amicos & inimicos pro inimicis semper habebit, ad præmissa solemniter sese obliget; quia nulli de quo posset evenire contrarium damnum seu scandalum ac sinistrum vendi volumus Castrum ipsum. Datum, &c.

Non omittam quæ ad hujus Epistolæ illustrationem refert Cl. *de Longuerüe.* Ita ille:

Dans cette Lettre Gregoire écrivant à son Légat ou Vicaire en Italie le Cardinal Anglici Grimoard refuse d'acheter le Château ou la Terre du Bourg du St. Sepulcre en Toscane, parce qu'il ne vouloit rien avoir à démêler avec l'Empire, dont le Bourg du St. Sepulcre étoit fief. Celui qui vouloit vendre cette Place étoit Guillaume Seigneur de Griffac, Neveu du feu Pape Urbain V. qui l'avoit eüe de la libéralité de l'Empereur Charles IV. Les Papes de ce tems-là ne furent pas si circonspects, car quelques années après ils s'emparerent de cette Place: mais Eugene IV. ayant besoin d'argent la vendit aux Florentins, & aujourd'hui le Grand-Duc de Toscane en est Souverain. Leon X. par sa Bulle dattée du 22. Septembre 1515. en détachant du Diocèse de Citta di Castello le Bourg St. Sépolcro, y érigea un Siége Episcopal, marquant que cette Place étoit à la Seigneurie de Florence. Cette Lettre a été écrite l'an 1371. car le Cardinal Anglici quitta cette même année sa Légation, comme le prouve Mr. Baluze à la page 994. de ses Notes sur les Papes d'Avignon. Boninsegni dit que le Cardinal de Bourges, qui est le même que le Cardinal d'Estaing, fut tiré de Perouze par Gregoire & envoïé Légat à Boulogne; ainsi le Cardinal Anglici Grimoard s'en retourna à Avignon l'an 1371. car Boulogne étoit le Siége de sa Légation.

Ad res Cortonenses redeo; & in primis Instrumentum do ex Chartulario nonnullarum Donationum Romanorum Pontificum extante in Archivo Vaticano sub folio 325. cujus Exemplar subministravit Cl. Baro Philippus de Stosch, qui de universa re litteraria benemereri non desinit. Illud Gentis Casaliæ, quæ Urbem nostram jamdiù Imperio tenuit, Historiam respicit, quæ plurimùm indiget lucis & à vobis non temerè expectat. Casalii partim ab Imperio partim ab Ecclesia habuerunt Dynastiam sub Vicariatus Imperialis & Apostolici nomine. Quod luculenter subjectum probat Instrumentum, seu Juramentum fidelitatis ab Uguccio de Casalibus Bonifacio IX. Papæ præstitum.

IV.

Digitized by Google

IV. *Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio nobili Uguccio de Casalibus Domicello Cortonæ, in Monte Gualando, Burguctio seu Burgo novo super Lacum, Reschio, & Lisciano in Valle Pierlis, Castris, Fortaliciis, seu Tenutis Perusinæ Diœcesis, eorumque Territoriis seu districtibus pro nobis & Ecclesia Romana in temporalibus Vicario salutem, &c.*

DUm nostræ considerationis intuitum ad illam devotionis plenitudinem & fidei sinceræ nitorem, quos te velut honoris & status sanctæ Romanæ Ecclesiæ atque nostrum eximium Zelatorem erga ipsam Ecclesiam & nos ferventer gessisse & gerere laudabili operum evidentia comprobatis extendimus, dumque acceptabilia & grata fidelitatis obsequia, quæ ipsi Ecclesiæ tu & tui Progenitores retroactis temporibus liberaliter impendistis, & adhuc tu continuè impendere non desistis, debita gratitudine recensemus, & grandia merita tuæ famosæ probitatis attendimus, ad ea nimirùm concedenda quæ tuum honorem & commodum sapiant, statusque tui & tuorum securitatem concernant, promptis affectibus excitamur. Iis siquidem considerationibus & aliis nostrum inducentibus animum, & ut eò ferventiùs & devotiùs ad nostra & Romanæ Ecclesiæ obsequia & fidelitatem servandam tu & tui consanguinei animemini per augumentum quo per nos & Sedem Apostolicam te senseris amplioris dono gratiæ præveniri, Vicariatum, Regimen, Gubernationem, & Administrationem nostrorum Montis Gualandi, Burguetti sive Burgi novi super Lacum, Reschii, & Lisciani in Valle Pierlis, Castrorum aut fortaliciorum seu tenutarum Perusinæ Diœcesis, eorumque Territoriorum & districtuum, ac quorumcumque jurium ac pertinentiarum eorumdem & cuilibet ipsorum ad nos & Romanam Ecclesiam pertinentium, quæ ad præsens ad manus tuas, ut asseritur, tenes, tibi pro te & filiis tuis masculis legitimis & naturalibus, uno vel pluribus quotquot fuerint ex te immediatè descendentibus natis & nascituris de uberiori gratia Apostolica authoritate favorabiliter concedimus per præsentes. Teque, & te decedente, ipsos filios tuos, unum vel plures supervenientes, Castrorum, fortaliciorum seu tenutarum, Territoriorum, & districtuum prædictorum, ac ipsorum Universitatum, Incolarum, & Habitatorum Vicarios, Rectores, Gubernatores & Administratores in temporalibus, te & ipsis in fidelitate & obedientia nostra & successorum nostrorum Romanorum Pontificium canonicè intrantium ac dictæ Ecclesiæ persistentibus, authoritate prædicta facimus constituimus deputamus; ac etiam ordinamus tibi, & te decedente, ipsis filiis tuis, modo prædicto, Vicariatum, Regimen, Gubernationem & Administrationem hujusmodi per te & ipsos, seu alium vel alios ad hoc à te vel ab eis deputandum seu deputandos cum in illis mero & mixto imperio ac omnimoda jurisdictione temporali, quæ inibi per dictam Ecclesiam seu alios pro ea exercitata fuerat diutiùs & præsentialiter exercetur, ad honorem nostrum & ejusdem Ecclesiæ, statumque pacificum & tranquillum Castrorum seu fortaliciorum, vel tenutarum ac Territoriorum prædictorum, necnon Universitatum, Incolarum, & Habitatorum eorumdem justè ac fideliter exercendis potestatem plenariam committentes: tibique & te decedente, ut

B

Digitized by Google

præfertur, eisdem filiis tuis quoscumque Potestates, Judices, & Officiales idoneos, qui possint & debeant quæstiones quaslibet tam civiles quam criminales, & alias cujuscumque speciei, vel generis motas, vel movendas ad forum Castrorum, seu fortaliciorum, vel tenutarum, ac Territoriorum & districtuum prædictorum, vel alicujus eorum, ratione contractus, delicti, vel rei de qua agetur, aut quovis modo de jure aut consuetudine pertinentes audire, & de ipsis prævia ratione cognoscere, criminibus læsæ, & læsæ majestatis, & falsitatis litterarum Apostolicarum exceptis, easque fine debito terminare, & executioni mandare, inibi constituendi & faciendi, necnon colligendi habendi, & percipiendi, ac tuis & ipsorum filiorum tuorum usibus applicandi, omnia & singula consueta & debita Telonea, Pedagia, jura, & emolumenta, fructus redditus proventus, & introitus quocumque nomine censeantur ad nos, & dictam Ecclesiam in Castris, seu fortaliciis, ac tenutis, Territoriis ac districtibus prædictis, & quolibet eorum pertinentia, & de ipsis omnibus & singulis, durante Vicariatu hujusmodi, prout tibi & eis videbitur, & volueritis, disponendi. Alienationem tamen bonorum, ac jurium ipsius Ecclesiæ in eisdem Castris seu fortaliciis ac tenutis, eorumque Territoriis, & districtibus tibi, & eis penitus interdicta; ac per vos, vel alium, seu alios, quibus id committendum duxeritis, merum & mixtum imperium ac omnimodam Jurisdictionem prædicta exercendi; contradictores quoque quoslibet, & rebelles, quotiens expedierit, temporali districtione qua convenit, compescendi; ac omnia & singula, quæ honori nostro, & ejusdem Ecclesiæ, ac statui pacifico prospero & tranquillo Castrorum seu fortaliciorum vel tenutarum, ac Territoriorum, districtuum, Universitatum, Incolarum & Habitatorum prædictorum expedire cognoveritis faciendi, statuendi, ordinandi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, & exequendi concedentes auctoritate prædicta plenariam facultatem. Ita tamen quod de hujusmodi consuetis & debitis Teloniis, Pedagiis, juribus, fructibus, redditibus, proventibus, introitibus & emolumentis aliis quibuscumque, tu & prædicti filii tui teneamini Castra seu fortalicia, aut Tenutas hujusmodi, eorumque Territoria & districtus vestris sumptibus & expensis fideliter & diligenter custodire, & cætera alia ipsorum onera supportare, absque eo quod dicta Ecclesia tibi, vel dictis filiis pro hujusmodi Vicariatu, Rectoria, Gubernatione, Custodia & oneribus supportandis subvenire in aliquo teneatur: & nihilominus singulis annis quibus hujusmodi Vicariatum, Rectoriam, Gubernationem & administrationem exercebis, seu ipsi filii tui exercebunt, vel alter filiorum eorum superveniens exercebit, de hujusmodi emolumentis & proventibus pro censu & nomine census prædictorum Castrorum, & Fortaliciorum, aut Tenutarum eorumque Territoriorum, & districtuum unum Aprum bonum & sufficientem nobis seu successoribus nostris canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ seu Cameræ Apostolicæ, in Festo Nativitatis Dominicæ, in Romana Curia, ubicumque fuerit, tuis, & eorumdem filiorum tuorum sumptibus periculo & fortuna solvere tenearis, & teneantur; necnon militare subsidium, & alia servitia in concessionibus dudum per felicis recordationis Innocentium Papam VI. & alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu de ipsius vel eorum mandato per Sedis Apostolicæ Legatos factis, contenta & ordinata, facere attendere & adimplere fideliter sitis adstricti. Volentes & expressè declarantes ut si tu, vel filii tui dicto durante Vicariatu in termino superius annotato censum prædictum non solveris seu non solverint realiter, & cum effectu, ipso facto à jure hujusmodi Vicariatu cadas, seu cadant, & quod Castra, seu Fortalicia aut Tenutæ hujusmodi cum eorum Territoriis, & districtibus ad nos seu successores nostros Romanos Pontifices canonicè intrantes liberè revertantur. Censas tamen omnium, & singulo-

rum appellationum, ac nullitatum quarumlibet tam criminalium, quam civilium, & alia quælibet superioritatis jura nobis & nostris successoribus, & Legatis, ac Rectoribus in illis partibus præsidentibus, qui sunt & erunt pro tempore, expressè & specialiter retinemus, ac etiam reservamus; salvis tamen & reservatis in hoc casu quibuscumque privilegiis, & indultis dictorum Castrorum, seu Fortaliciorum, aut Tenutarum, eorumque Territoriorum, & districtuum eis in hac parte competentibus, si qua forent, quibus non intendimus propterea derogare. Volumus insuper & hujusmodi Vicariatus constitutioni adjicimus per præsentes, quod Universitates, Incolæ & Habitatores prædicti ad Parlamenta Generalia accedere teneantur, quodque tu, & prædicti filii tui per vos, & Officiales vestros, quos ad hoc duxeritis deputandos, Castra, seu Fortalicia, aut Tenutas, eorumque Territoria & districtus, necnon Universitates, Incolas & Habitatores prædictos hujusmodi durante Vicariatu, regatis, & gubernetis secundùm jura, constitutiones & statuta, ac consuetudines eorumdem, & alia per dictam Ecclesiam, vel alium ad hoc ab ea potestatem habentem tam edita & approbata, quam in posterum edenda, & approbanda, & quod omnia statuta, si qua essent, in eisdem Castris, seu Fortaliciis, & Tenutis eorumque Territoriis, & districtibus contra Romanam Ecclesiam & libertatem Ecclesiasticam, Ecclesias, Ecclesiasticasque Personas, seu eorum bona, cassetis & faciatis totaliter aboleri, & quod eis non utamini, nec ea servetis: nec in eis receptetis rebelles & exbannitos, aut inimicos ejusdem Ecclesiæ, nec directè, nec indirectè faciatis per alios susceptari, nec eis, vel eorum alicui auxilium, consilium, vel favorem dari, seu præstari ullo modo permittatis; quin potiùs quoscumque ex eis in vestram pervenientes potestatem, quotiens super hoc à Legatis Sedis Apostolicæ vel Rectoribus Provinciæ Beati Petri in Tuscia, aut aliis dictæ Ecclesiæ Officialibus ad quos ratione Officiorum suorum id pertinet requisiti fueritis, bona fide capi faciatis, & ad hujusmodi requirentes sub fida custodia destinari curetis. Volentes, & etiam ordinantes, quod tu, & ipsi filii tui omnes gentes etiam armigeras tam Equestres quam Pedestres per nos, aut Legatum, seu Rectores, & Officiales præfatos, vel alium à dicta Ecclesia seu ipsius Legato, vel Rectoribus, aut Officialibus ad hoc deputandis quotiescumque transmissas in Castris seu Fortaliciis, aut Tenutis prædictis eorumque Territoriis & districtibus recipere, & receptare, ac recipi, & receptari, & benignè tractari, eisque de victualibus & aliis necessariis provideri pro competenti prætio, sive foro, juxta posse vestrum facere teneamini. Quodque Universitates, Incolæ & Habitatores prædicti in manibus tuis, & dictorum filiorum tuorum, seu alicujus vel aliquorum ad id per te vel eos deputandi, vel deputandorum, juramentum debitæ fidelitatis servandæ nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac tibi & prædictis filiis tuis tamquam Vicariis nostris, & dictæ Ecclesiæ, infra congruum ad hoc per te & eosdem filios tuos moderandum terminum, præstare corporaliter teneantur. Volumus quoque & huic Vicariatui adjicimus, quod singulis sex mensibus deinceps ipso Vicariatu durante futuris, quoscumque Officiales stipendiarios, provisionatos, salariatos, consanguineos, & alios quoslibet, quos te, & eosdem filios tuos prædictos successivis temporibus ad regimen, gubernationem, seu custodiam Castrorum, seu Fortaliciorum aut Tenutarum prædictorum, eorumque cujuslibet eorum Territoriorum, & districtuum deputare aut alias inibi vobiscum habere, vel tenere contigerit, in manibus dicti Legati vel Vicarii Generalis prædictæ Ecclesiæ aut Rectoris dictæ Provinciæ in partibus illis, si ipsi vel eorum alter in eorum partibus fuerit, sive alicujus alterius ab aliquo ipsorum Legati vel Vicarii seu Rectoris deputandi, alioquin in manibus venerabilis Fratris nostri Episcopi

Digitized by Google

Cortonen. pro tempore existentis corporaliter præstari facias, & faciant juramentum, quod ipsi nullo modo, via, vel forma consentient, aut permittent posse suo, quod dicta Castra, seu fortilicia aut tenutæ, vel aliquod eorum, durante Vicariatu prædicto, à fidelitate vel obedientia dictæ Ecclesiæ quomodolibet subtrahantur, & cujusvis alterius personæ singularis, vel Universitatis Potestati Ditioni, vel Dominio, ad hoc nostro & dictorum successorum non interveniente consensu, quomodolibet supponantur; quin potiùs ne id fiat obsistent & totis viribus se opponent, & toto posse fideliter repugnabunt; & facient quod Castra, seu fortalicia, aut tenutæ hujusmodi, eorumque territoria & districtus, necnon Universitates, Incolæ, & Habitatores sæpè dicti in vera fidelitate, obedientia & devotione præfatæ Ecclesiæ, suorumque Officialium permaneant illibati; quodque ipsa Castra seu fortalicia, aut tenutæ, eorumque territoria, & districtus post dictorum filiorum tuorum obitum, ad potestatem, dominium & manus dumtaxat nostras & successorum nostrorum liberè revertantur, ipsaque procurabunt toto posse & sine fraude tradere & assignare nobis, & successoribus nostris, seu Legato de latere, aut Rectoribus Provinciæ, seu aliis, vel aliis ad id per nos, vel successores nostros, vel Legatum aut Vicarium, vel Rectorem, & Apostolica Sede vacante nullo existente Legato, vel Generali Vicario, seu nostrum per Collegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium deputando, tu, dictique filii tui, ut idem sequatur, & fiat procurabis, & procurabunt oportunis provisionibus & remediis, bona fide. Præterea volumus & huic Vicariatui adjicimus per expressum, coram Venerabili Fratri nostro Episcopo Cortonen. quod prædicta Castra, seu fortalicia, aut tenutas, eorumque territoria, et districtus, necnon Vicariatus regimen, gubernationem, et administrationem, à nobis seu dictis successoribus nostris, et à Romana Ecclesia recognoscere, et in ejusdem Episcopi manibus fidelitatis, et alias in forma subscripta, solitum et debitum juramentum præstare tenearis, de quibus recognitione, et juramenti præstatione per publicum instrumentum inde confectum Cameram Apostolicam certificare procures. Alioquin hujusmodi Vicariatus concessio nullius existat roboris vel momenti; quodque te vita functo, prædicti filii infra sex menses à die tui obitus immediatè computandos, personaliter, aut per eorum procuratorem ad hoc per eos legitimè constitutum, recognitionem, et juramentum hujusmodi simili modo coram nobis, aut successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, seu illo vel illis, cui vel quibus, nos vel ipsi successores duxerimus committendum, faciant atque præstent. Quæ si infra dictorum sex mensium à die tui obitus computandorum terminum personaliter, aut per dictum eorum Procuratorem, ut præfertur, dicti filii tui facere neglexerint, et lapso dicto sex mensium termino infra tres menses prædictos sex menses immediatè sequentes prædicta non curaverint effectu aliter adimplere, ex tunc excomunicationis sententiam illos, qui in hoc defecerint, incurrere volumus ipso facto, à qua nisi per nos aut successores nostros non possint nisi in mortis articulo absolutionis beneficium obtinere; et nihilominus ab omni Vicariatus exercitio, regiminis gubernationis et administrationis prædictorum eos suspendimus ipso jure, et illud eis penitùs inibemus: et si infra alios tres menses prædictos immediatè sequentes prædicta non curaverint adimplere cum effectu, et debite recuperare, ex tunc ab ipsis Vicariatus regimine, gubernatione, et administratione, et omni jure dictis filiis tuis exinde quomodolibet competenti, ipsos privatos esse volumus, et tenore præsentium declaramus. Postremo omnis ambiguitatis, seu dubii, quæ seu quod, prætextu seu occasione concessionis, constitutionis, voluntatis, reservationis, receptionis, et conditionis superiùs adjectarum, aut aliquorum aliorum præsentibus expressorum, quovis modo, et quoties-

Digitized by Google

quotiescumque in posterum orietur, & ipsorum omnium interpretationem & declarationem ad nos, & prædictos successores nostros, & ad nullum alium volumus pertinere, juxta nostram, & dictorum successorum nostrorum voluntatem & arbitrium faciendas: Mandantes quoque districtiùs dilectis filiis Castrorum, seu Fortiliciorum, aut Tenutarum, eorumque territoriorum, & districtuum prædictorum, Universitatibus, Incolis & Habitatoribus prælibatis, quatenùs te, & te deficiente, prædictos filios tuos tamquam Vicarios & Rectores suos, dicto Vicariatu durante, benignè recipientes & honorificè pertractantes tibi & eisdem, tanquam suis Rectoribus, & aliis tuis & eorum Officialibus, quos ad Castrorum seu Fortaliciorum hujusmodi regimen duxeritis deputandos, in omnibus quae ad Vicariatus & Rectoriæ hujusmodi spectant officium, tibi & eisdem filiis tuis juxta præsentis nostræ Constitutionis tenorem, parere & intendere studeant & efficaciter obedire. Finito autem dicto Vicariatu volumus quòd Castra, seu fortalicia, aut tenutæ hujusmodi, eorumque Territoria ac districtus ad nos seu successores nostros liberè semota difficultate quacumque revertantur. Tu igitur ex traditis tibi dono cœlesti virtutibus, sic in regimine hujusmodi te habeas, & præfatos filios tuos circa Castri regimen hujusmodi prosperum, & tranquillum, prout tibi possibile fuerit, erudire instruere & docere studeas; & procures quòd Universitates Incolæ & Habitatores prædicti utilibus Gubernatoribus, & Rectoribus providis gaudeant se commissos: Tuque & ipsi filii tui apud Deum & homines valeatis exinde merito commendari, & nostram, ac Ecclesiæ prædictæ benedictionem & gratiam uberiùs promereri. Forma autem Juramenti per te & dictos filios tuos ratione Vicariatus hujusmodi, ut præfertur, præstandi, ut per eam tu & dicti filii pleniùs informemini, præsentibus inseri fecimus, quæ est talis. EGO HUGUCCIUS DE CASALIBUS *Domicellus Cortonensis, in Monte Gualando, & Burgueto seu Burgo novo super Lacu, Reschio, & Lisciano in Valle Pierlis, Castris seu Fortaliciis aut Tenutis Perusinæ Diœcesis, eorumque Territoriis & districtibus pro Sanctissimo Patre, & Domino meo Domino Bonifacio Divina Providentia Papa nono, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in temporalibus Vicarius Generalis promitto & juro per me, & vice ac nomine filiorum meorum natorum & nasciturorum prædictorum, quòd ab hac hora in antea fideles erimus Beato Petro Apostolorum Principi, & dicto Domno nostro Domino Bonifacio Divina Providentia Papæ nono, ac successoribus suis Romanis Pontificibus canonicè intrantibus. Non erimus in consilio auxilio opere, seu facto aut consensu, quod dictus Dominus noster Bonifacius, seu successores sui vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione: Consilium vero quod vel nobis significaverint, vel committent per se, vel nuncios, seu litteras sine eorum licentia ad ipsorum damnum scienter nemini pandemus; & nunquam erimus; verbo facto aut consilio vel consensu, directè vel indirectè, per nos vel per alium seu alios, publicè vel occultè, seu quovismodo contra Romanam Ecclesiam, & Dominum nostrum summum Pontificem, qui nunc est, vel pro tempore erit; sed semper erimus adjutores ad conservandum retinendum defendendum & recuperandum Civitates Terras Castra & Villas Rocchas & Bastitas Fortalicia, & omnia alia jura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam malè alienata, vel per quoscumque homines malè occupata, vel tyrannicè detenta adjuvabimus pro posse recuperare, & recuperata pro posse defendere, ac in suo pleno dominio, & eorum juribus utilitatibus & honoribus conservare, & dictam Romanam Ecclesiam & dictum Dominum nostrum summum Pontificem qui nunc est vel pro tempore erit, Vicarios Legatos & Officiales ipsius Ecclesiæ, etiam contra perditionis filium Robertum olim Basilicæ duodecim Apostolorum dictum Gebennen:*

Digitized by Google

Presbyterum Cardinalem, nunc Antipapam, qui se Clementem septimum ausu temerario nominare præsumit, & Joannem olim tituli Sancti Marcelli dictum Ambianen: Gerardum olim tituli Sancti Clementis dictum majoris Monasterii, Presbyteros dictæ Ecclesiæ Cardinales, & per felicis recordationis Urbanum Papam sextum prædecessorem dicti Domini Bonifacii, justo Dei judicio, auctoritate Apostolica velut hæreticos condemnatos, & contra eorum sequaces, ac dantes eis, vel eorum alicui auxilium consilium vel favorem, cujuscumque erit præeminentiæ dignitatis ordinis religionis conditionis aut status, etiamsi Pontificali aut Regali seu Reginali, vel quavis alia perfulgeant dignitate, etiamsi fuerint dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & contra alios quoscumque per Ecclesiam denotatos vel in posterum denotandos, quandiu extra gratiam & comunionem dictæ Ecclesiæ permanebunt, nec eis vel alicui eorum dabimus quovismodo, per nos vel alium seu alios quoscumque, directè vel indirectè, publicè vel occultè, auxilium consilium vel favorem, nec ab aliis quantum in nobis erit, & impedire poterimus præstari, seu dari permittemus, sed eos pro posse, donec reducantur & convertantur ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & obedientiam & reverentiam præfati Domini Bonifacii Papæ noni, vel eorum successorum, juxta tenorem processuum Apostolicorum & prout justum fuerit, præfatos damnatos & filios perditionis pro posse persequemur & invademus & invadi faciemus, etiam contra omnes homines mundi, juxta nostrum posse, & bona fide, & nunquam erimus verbo vel facto, consilio aut consensu, ut aliquis Imperator Rex Dux vel Marchio, seu quivis alius Nobilis, Universitas, Communitas, seu Collegium cujuscumque Civitatis Terræ vel loci, eligantur nominentur seu etiam assumantur in Dominum Officialem vel Rectorem Castrorum seu Fortaliciorum aut Tenutarum prædictorum, seu ipsorum Territoriorum, seu districtuum sine expressa licentia dicti Domini nostri Papæ qui nunc est, vel pro tempore erit, seu Legatorum ejus, & quod Constitutiones Papales maximè felicis recordationis Joannis XXII. Clementis VI. Innocentis VI. summorum Pontificum loquentium de hac materia pro posse & totis viribus observabimus; & si contigerit quod aliquis nominaretur vel eligeretur seu assumeretur in Dominum Officialem in Castro, seu fortaliciis, aut tenutis dicti Domini nostri prædictis, vel Legatorum seu Vicariorum ejus, non præstabimus eis auxilium consilium vel favorem publicè vel occultè, sed pro viribus in quantum poterimus repugnabimus, & quam reverentur & honorificè juxta posse nostrum in Castris fortaliciis & tenutis prædictis, in quibus fuimus Vicarii deputati, & eorum comitatu & districtu, dictum Dominum nostrum Bonifacium Papam nonum & successores suos canonicè intrantes, & Legatos Nuncios Vicarios & Officiales eorumdem qui pro tempore erunt, in Castris & districtibus prædictis quoties ad partes illas accesserint reverenter & humiliter recipiemus, & pro posse honorificè pertractabimus, ac in devotione fidelitate & obedientia ipsius Romanæ Ecclesiæ & dicti Domini nostri Papæ, & successorum suorum canonicè intrantium, & Legatorum Vicariorum & Officialium suorum perpetuo & inviolabiliter permanebimus; & quod nunquam contra præfatam Ecclesiam Romanam & Dominum nostrum Dominum Bonifacium Papam nonum seu successores suos Romanos Pontifices canonicè intrantes, aut contra Officiales suos vel successorum suorum non rebellabimus, nec rebellantibus adhærebimus quoquo modo, nec auxilium consilium vel favorem publicè vel occultè ipsis rebellantibus dabimus, sed præceptis monitionibus jussionibus Romanæ Ecclesiæ summorumque Pontificum parebimus, & reverenter obediemus cum effectu, cavalcatas offensiones invasiones, dissentiones non faciemus, aut fieri procurabimus contra aliquos Romanæ Ecclesiæ fideles subditos devotos obe-

Digitized by Google

dientes, nisi in quantum dictus Dominus noster Papa permiserit & de sua processerit voluntate, neque ipsos invademus, nec etiam damnificabimus per nos vel alium seu alios, nec invadere aut damnificare attemptantibus seu volentibus quoquomodo præstabimus vel dabimus auxilium consilium vel favorem. Nullam præterea conjurationem, conspirationem, seu ligam contra dictum Dominum nostrum Dominum Bonifacium Papam nonum ac Romanam Ecclesiam ac Officiales dictæ Ecclesiæ, seu aliquem ipsorum faciemus, seu fieri consentiemus, nec alicui eorum damnum faciemus, vel fieri procurabimus directè vel indirectè, publicè vel occultè. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Perusii Kal. Decembr. anno quarto.

Cl. *P. de Bosco.* *N. de Augis.*

Bonifacius IX Neapolitanus de Domo *Thomacella* ad primam Sedem adsumptus est mense Novembri Ann. 1389. hinc ejus annus quartus erit emensus 1393. Fervebat tùm temporis illud famigeratum Occidentis Schisma. Clemens VII, jampridem Robertus Cardinalis (*de Geneve*) dictus, Avenione sedebat Francorum & Hispanorum patrocinio nixus. Bonifacius eodem anno quo Casalios nostros in Vicarios constituit, Bononiam Perusiam aliasque Civitates sua imperata facere coegit. Johannes Cardinalis Ambianensis (*d'Amiens*) & Gerardus Cardinalis Monasterii majoris (*Mar-Monstier*) hæretici declarati ab Urbano VI. propria jura acerrimè defendente sexta die Novembris Ann. 1378. uti auctor est Raynaldus.

Proximè hanc ætatem adtingit Epistola, qua Ruperto novo Cæsari per Cortonenses Vicarios Imperiales fides promittitur. Ea inter Ruperti Regis Romanorum, & aliorum ad eum Epistolas, reperitur quas laudatus Martene edidit in Thesauro suo Anecdotorum Tom. I. pag. 1643. & sic se habet.

V. *Cortonensium; Reverendissimi in Christo Patribus & Dominis, Johanni Moguntiensi, F. Coloniensi, W. Trevirensi Archiepiscopis, Cancellariis, & Electoribus Imperii, Dominis & Patribus honorandis.*

Recepimus Litteras vestras, Reverendissimi Patres & Domini nostri, quibus nobis electionem Cæsaris intimastis, ad quas cum omni reverentia debitè respondemus, quàm prompti & parati sumus in istis & cunctis concernentibus honorem Cæsareæ Majestatis & fideliter & devotè procedere, prout & nobis debitum est & verus ordo rationis exigit & requirit &c. parati &c.

Franciscus & Aloysius de Casalibus Cortonenses Domini. Cortonæ die VI. *Decembr. Anno Domini* 1400. VIII. *Indit.*

Wenceslaus Imperator Caroli IV Imper. filius consilium de extinguendo Ecclesiæ Schismate cœpit unà cum Carolo VI Francorum Rege. Conventus ad hoc Remis habitus anno 1398. In eo duos inter se concertantes Papas ad abdicationem cogendos unanimi sententia constitutum est. Quod ægrè admodum ferens Bonifacius IX Electores ad spoliandum Imperio Wenceslaum occultè sollicitavit. Offensos jampridem multis nominibus id adgredi facili negocio persuasit. Hinc congregati apud Treviros Wenceslaum exauthorarunt, die vigesima mensis Augusti, anno 1400 Imperiumque paullò post Ruperto III Bavariæ Duci detulerunt. Huic prima cura

Digitized by Google

fuit Italiæ Principes in ſuas partes trahere; nam pro Wenceſlao ſtabant adhuc Mediolanenſes, Genuenſes, Mantuani & Ferrarienſes. Caſalii, ut vidimus, pluribus Bonifacio adſtricti beneficiis Ruperti inaugurationem adprobarunt. Epiſtolæ ſubſcripſerunt Franciſcus II, & ejuſdem nepos Aloyſius Baptiſta ultimus Cortonenſium Dynaſta. Electorum Eccleſiaſticorum nomina ſingularibus litteris exarata explicabitis. *Fredericus. Wernerius.*

Non abs re erit huic ſubnectere binas Reipublicæ Florentinæ Epiſtolas ad hos ipſos Cortonæ Dominos datas. Eas ex MS. Cod. Bibliothecæ Riccardiæ Florentiæ deprompſi, in quo Excelſæ Reipublicæ Florentinæ plures continentur Epiſtolæ ad Populos & Principes, qui fuerat olim Petri Criniti Cl. V.

VI. Domino Cortonæ

Magnifice Domine & Fili cariſſime & Civis noſter dilecte.

QUamvis nobis nova non ſit veſtra devotio & immenſæ liberalitatis habitus, quem ſemper ad noſtri Comunis honorem & reciprocam erga nos benevolentiam habuiſtis, quantum tamen nos diligit veſtra Nobilitas honorando noſtros Oratores quos in Romanam Curiam miſimus abundantiſſimè declaraſtis. Nibil etenim vel lætitiæ frontis, vel epularum deliciis, aut bonorum magnificentiæ, vel realiter addi poteſt, vel mentis humanæ cogitationibus cumulari. Nec ſatis ſuit ipſos non hoſpitalitate domeſtica, quin potiùs munificentia Regia, dùm in Romanam Curiam pergerent accepiſſe, ſed etiam ipſos maximæ ſumptuoſitatis profluvio in reditu ſuſcepiſtis. In quibus licet certi ſimus vos pro concæpta devotionis magnitudine monumentum quoddam exhibuiſſe; gratiſſimum tamen nobis foret, quod in bis olim & in futurum circa ſimilia moderationem debitam poneretis. Ea etenim demùm liberalitas & boneſta & duratura eſt, quæ percipienti prodeſt & non nocet exhibenti. Pro tali tamen conſtanti dilectionis affectu digna vobis referimus impendia gratiarum. Declarantes amicitiam veſtram, quod ex hoc cultu, veræque charitatis ardore noſtræ intentionis eſt, vos & ſtatum veſtrum omni cum noſtra potentia conſervare. Datum Florentiæ die XV. *Januarii* XIII. *Indict.* MCCCLXXXV.

Ex hac patet Epiſtola Dominorum Cortonenſium in Florentinos obſequium, quantùmque poſtremi parſimoniam nullo non tempore in deliciis habuerint. Franciſcus Caſalius junior liberalitate ac magnificentia maximè polluit, cæteriſque dotibus quæ optimum Principem decent. Teſtis ſit Inſcriptio illi publicè poſita, quo loci nunc Leonis X. P. M. ſtemma videtur; ea ſic ſe habuit.

Mille quater centum quinis labentibus annis
Unica Franciſci, Franciſcus nomine, Proles,
Cortonæ Dominus, genituſque Caſalibus, Urbem
Pace fovet, placiduſque bonis, rigiduſque ſuperbis,
Cuique ſuum juſtè tribuit ſub Legibus æquis;
Atque Urbis faciem renovat, redditque decoram.

En

Digitized by Google

En alterum Reip. Florentinæ litterarum exemplum.

VII. Domino Cortonæ

Magnifice Domine, Fili cariſſime, Concivis noſter dilecte.

QUàm maximæ noſtræ conſolationis eſt, quod in his quæ contra veſtrum honorem & ſtatum veſtramque perſonam dicuntur excogitata, veſtra devotio cuncta ſciat. Placeat ſine moræ diſpendio aliquos vobis fidos huc tranſmittere, qui cuncta videant, & rerum iſtarum proceſſum in propriis terminis apprehendant. Nos omninm diſpoſiti ſumus veritatem diligenter inquirere, culpamque non in membris ſolum, ſed in capite cum ſeveritatis exemplo debitaque rigiditate punire. Cæterum ſicut nobis Gualterius de Maccis fidem fecit, videtur veſtra Nobilitas aliquid de materia comperiſſe: Totum velit veſtra dilectio nobis per litteras veſtras aut præfatos celeriter tranſmittendos propiùs intimare. Dat. Florentiæ xxx. *Junii* MCCCXCIX.

De qua re hìc agatur inquirere ſupervacaneum reor. Franciſci Caſalii inimici plura, ut videtur, occultè moliebantur; non multis paullò poſt annis incendium illud detonuit, ipſo Aloyſio nepote auctore, qui Patruum de ſui Palatii feneſtra, adhibita conjuratorum manu, præcipitem egit, ſub anno 1407.

Maximam ex conſimilibus litteris utilitatem ad pertexendam Hiſtoriam veſtram capere poteſtis, Collegæ humaniſſimi, quas in collectionibus quæ in Curioſorum manu ſunt expiſcari licebit. Memoriâ teneo me hujuſmodi legiſſe binas datas ad Dominos Cortonenſes in Cod. Florentino Epiſtolarum Coluccii Salutati Florentinæ item Reip. Scribæ. Quatuor extant inter Epiſtolas Leonardi Arretini editas nuper ab Academico noſtro Cl. Laurentio Mehus. Quùm Epiſtolas Ambroſii Camuldulenſis à Martene datas in ſuæ collectionis Tom. III. evolverem, in unam incidi ſcriptam Bartolomæo de Monte-Gonzio de reſtituendo Ordini Camaldulenſium Monaſterio Cortonenſi, quod fuerat pridem ab Cardinali Urſino impetratum.

Prætermittendi non ſunt mutui tractatus & ligæ, pacta & conventiones Italiæ Principum, ad quas Cortonenſes Domini vocati, in quantum vires ferebant, adceſſerunt. Eas apud Scriptores diplomaticos invenietis: Plurimæ adhuc in Bibliothecis latent. Memini me legiſſe in MS. Cod. Academici noſtri ſelectiori eruditione conſpicui Philippi Baronis Stoſchii, *Inſtrumentum ligæ cum Johanna Neapolis Regina, & Communitatibus Tuſciæ* quo tempore Carolus IV. Imperator, & Urbanus V. Papa Italiam ingreſſi ſunt Ann. 1367. In eo poſtquam de Peruſinis & Senenſibus mentio facta eſt, habetur: *Et circumſpectus & ſapiens Vir Dominus Franciſcus Bruni Syndicus & Procurator Nobilis & Egregii Militis Domini Franciſchi, filii quondam bonæ memoriæ Nobilis & Magnifici Militis Domini Bartholomæi de Caſalibus Generalis Conſervatoris Gubernatoris & Domini Civitatis Cortonæ, Procuratorio & Syndicario nomine pro ipſo Domino Franciſcho, ut de ſuo Syndicatu procura & mandato conſtat in forma, rogato & publicato per Ranaldum fil. quond. Toti olim ſeu Ranaldi de Civitate Cortonæ, in anno Domini à Nativitate* MCCCLXVII. *Indict.* V. *die* XII. *menſis Auguſti, pro ipſo Domino Franciſco & pro Civitate Cortonæ, & pro Caſtro Pierlis, & ipſius Civitatis Cortonæ & Caſtri Pierlis, & cum om-*

Digitized by Google

nibus eorum Communitatibus, Territoriis, & districtibus, quæ ad præsens possidet, vel quasi possidet, pro quibus venit in præsenti Confœderatione, puro animo & bono zelo, pro evidenti utilitate, & necessitate omnium prædictorum quorum nomine agunt, fecerunt contraxerunt & inierunt & firmaverunt, faciunt firmant contrahunt iniunt Ligam Confœderationem Promissionem Ordinationem & Unionem, duraturam usque ad septem annos à die celebrati præsentis Contractus continuè numerandos & computandos, sub pactis modis conditionibus articulis & capitulis in formis describendis, & prout & sicut infra per ordinem apparebit.

Postquam verò unicuique fœderatorum impositæ Leges sunt, subditur: *Egregius verò Miles Dominus Franciscus de Cortona prædictus ponat, teneat, & conferat, & ponere & tenere & conferre debeat, cum effectu, toto tempore præsentis Confœderationis, Equites quindecim & Pedites totidem, de gente & qualitate quibus suprà fit mentio &c. Actum in Civitate Gubii in loco Fratrum Minorum &c.*

Sed quis ego sum qui vos tandiù moror, Viri spectatissimi? vela colligo & modum longiori Epistolæ impono. Sed mihi vos identidem adloquendi facultas sit rogo, ne me Academici nominis & officii putetis immemorem; namque illud vobis persuaderi velim, me maximo prodesse Patriæ studio teneri, neque à mea in vos observantia ullo fortunæ impetu posse divelli. Valete, Viri præstantissimi, & fortiter feliciterque rem gerite.

Dabam ex Bibliotheca Burdegalensi Prid. Kal. Februarias MDCCXLV.

99 333459

Digitized by Google